

**1993-10-07 – SS Ioannes Paulus II - Littera ‘Notae Sunt Pietas’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

**LITTERAE APOSTOLICAE**

**NOTAE SUNT PIETAS**

**SANCTUS LAURENTINUS, DIACONUS ET MARTYR, PATRONUS PRINCIPALIS,  
ATQUE SANCTUS BERNARDUS ABBAS PATRONUS SECUNDARIUS  
APUD DEUM DIOECESIS PELPLINENSIS CONFIRMANTUR**

Ad perpetuam rei memoriam. – Notae sunt pietas ac veneratio quibus sanctus Laurentius, diaconus et martyr, nec non sanctus Bernardus abbas, coluntur a fidelibus dioecesis Pelplinensis, a Nobis constitutae die XXV mensis Martii anno MCMXCII per Litteras Apostolicas «Totus Tuus Poloniae populus». Quam ob rem Venerabilis Frater Ioannes Bernardus Szлага, Episcopus Pelplinensis, communia cleri populique vota excipiens, electionem sancti Laurentii in Patronum principalem et sancti Bernardi in Patronum secundarium apud Deum dioecesis suae rite peregit, itemque petivit ut huiusmodi electio ab hac Apostolica Sede confirmaretur. Nos vero enixis eius Venerabilis Fratris precibus libentissimo animo obsecundantes, comprobatis iis, quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, factis a Nobis facultatibus, hac in re egit, Apostolica Nostra potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum sanctum Laurentium, diaconum et martyrem, Patronum principalem, atque sanctum Bernardum, abbatem, Patronum secundarium apud Deum dioecesis Pelplinensis confirmamus, omnibus factis iuribus ac liturgicis concessionibus, quae in Normis de Patronis constituendis indicantur (AAS, vol. LXV, 1973, 276-279). Ceterum volumus ut hae Litterae Nostrae religiose serventur suosque plenos effectus sive nunc sive in posterum consequantur. Contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Octobris, anno MCMXCIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.*

**IOANNES PAULUS PP. II**